

Annuit his Carolus dictis pulcherrimus heros,
 Quem placidum voluit vestris sibi reddere Christus
 Promeritis famulum, magnis et honoribus auxit.
 Nunc sibi solvendi voti est concessa potestas.

III.

Alii ejusdem versus.

Nunc igitur nobis dum cessa est copia fandi,

A Nomen amicitiae crescat ubique suae,
 Crescat et audaci assiduum sub pectore votum,
 Quod sibi longævum addet in orbe diem.
 Addit et æternam per præmia plurima palmam,
 Quam sibi perpetuus servet in arce Deus.

ANNO DOMINI DCCCIX.

DAGULFUS.

NOTITIA HISTORICA IN DAGULFUM.

(Ex Fabricio, *Bibliota. med. et inf. Lat.*)

Dagulfus manu sua scripsit Psalterium aureis exaratum litteris, quod Carolus Magnus Adriano I pontifici munus obtulit; Dagulfus autem Carolo Magno dicavit hoc octodecasticho, quod in codice illo, bibliothecæ Cesareæ illato obvium vulgavit Lambecius tom. II, p. 266.

* Codex ille, quem Lambecio indicante Fabricius hic profert, mihi olim dum bibliothecam Vindobonensem, inviserem inspectus ac perlustratus, non Psalterium tantummodo exhibet, sed et cantica biblica. In principio vero quædam habet generalia de psalmis, ut de eorum origine et prophetia. An ista auctorem habeant Dagulfum plane ignoro. Insuper legitur ibidem sub nomine S. Hieronymi expositio illa fidei catholicæ, quam inter apocrypha S. Hieronymi dedit clar. Vallarsius in editione sua operum Hieronymianorum, tom. I.

B rum tantummodo exhibet, sed et cantica biblica. In principio vero quædam habet generalia de psalmis, ut de eorum origine et prophetia. An ista auctorem habeant Dagulfum plane ignoro. Insuper legitur ibidem sub nomine S. Hieronymi expositio illa fidei catholicæ, quam inter apocrypha S. Hieronymi dedit clar. Vallarsius in editione sua operum Hieronymianorum, tom. I.

DAGULFI OCTODECASTICHON.

Carolo Magno Psalterium suum aureis litteris exaratum nuncupat.

Aurea Davidicos en pingit littera cantus,
 Ornare docuit tam bene tale melos.
 Aurea verba sonant, promittunt aurea regna,
 Mansurumque canunt et sine fine bonum.
 Hæc merito tabulis cultim decorantur eburnis,
 Quas mire exsculpsit ingeniosa manus.
 Illic Psalterii prima ostentatur origo,
 Et rex doctiloquax ipse canere choro.
 Utque decus rediit, sublatis sentibus, olim

C Quod fuerat studio pervigilante viri.
 Aurea progenies fulvo lucidior auro,
 Carle, jubar nostrum, plebis et altus amor.
 Rex pie, dux sapiens, virtute insignis et armis,
 Quem decet omne decens, quidquid in orbe placet.
 Exigui famuli Dagulfi sume laborem
 Dignanter docto mitis et ore lege.
 Sic tua per multos decorentur scepra triumphos,
 Davidico et demum consociare choro.

ANNO DOMINI DCCXIV.

S. ANGILBERTUS

CENTULENSIS ABBAS.

NOTITIA HISTORICA IN SANCTUM ANGILBERTUM.

(Apud Mabill., *Act. ord. S. Ben.*)

1. *Elogii hujus ratio, scriptores Vitæ sancti Angilberti.*

1. Etsi beati Angilberti res gestas e tenebris oblivionis eruere conati sint auctores duo veteres, neutertamen id plene et absolute assecutus est. Et quia multa sunt apud eos vel omissa, vel obscura, vel dubia, visum est operæ pretium hic in antecessum præmittere antiquorum de Angilberto testimonia.

D eaque simul comparare, ut ejus veritas historiæ clarius elucescat. Quæ cum brevi observationum adnotationumve spatio comprehendere commode non possint, satius putavi ea redigere in Elogium historicum, quod instar commentarii hic appono.

2. Auctores duo sunt præcipui qui de sancti Angilberti Vita scripsere: unus Hariulfus, monachus primum Centulensis, dein abbas Aldenborgensis ter-

tius, ut lego in ipsius epitaphio ms. Is Chronicon Centulensis abbatiae libris quatuor edidit sub finem saeculi xi, egregium sane bonae antiquitatis monumentum. Exstat in Spicilegio tomo IV. Totus ejus liber secundus est de Angilberto abbate, cujus translationes duas describit in libris tertio et quarto. Alter Vitae scriptor est (ut puto) Anscherus abbas Centulensis : cujus auctoris lucubrationem Joannes Bollandus mutilam vulgavit in suo Februario cum praefata commentaria, cum identidem hactenus sub nomine Hariulfii, non tam sua quam Pauli Petavii et Guillelmi Peirati conjectura. Ego vero potius Anscheri tribuendam censeo. En conjecturae meae. Veri simile non est, Hariulfum bis scripsisse Vitam sancti Angilberti. Anscherus eo tempore de miraculis viri sancti edidit libros tres, qui posteriori Vitae in codicibus mss. subjiciuntur. Libri de miraculis Radulfo Rheimorum archiepiscopo dicati sunt, liber de vita alteri cuiquam, quem *majestatis* nomine appellat : quod de pontifice Romano interpretor. Au-
 ctor siquidem ipsum interrogat, qualiter Angilbertus « debeat tractari : utrum, velut hactenus gestum est, inter mortuos fideles memoria illius teneatur, an juxta Scripturam dicentem : Memoria iustorum cum laudibus, anniversaria dies eorum in numero sanctorum solemniter celebretur. Et ut vestra, inquit, praedicta non ignoret, qualiter isdem vir in hac vita positus Domini preceptis se manciperit, de gestis Francorum et diversis opusculis chronicarum colligentes actus ejus, vestrae majestati offerimus : ut per haec noveritis, quoniam non inaniter, quin potius pro merito miraculis a Domino declaratur. » Haec ergo scripta sunt tum, cum Angilbertus miracula patrabat. Id vero fieri ceptum est anno 1110, auctore Anscheri in libro de ipsis miraculis, quem hujus auctoris setum esse constat. Angilberti canonizationem (quam vocant) obtinere voluit Anscherus : ob id librum de miraculis obtulit Rheimensi archiepiscopo, librum de vita summo pontifici, quem *majestatis* nomine appellat : ad quem ejusmodi negotia de canonizatione sanctorum jam referri ceperant, consulto et permissu metropolitani et episcopi perficienda, uti apparet ex historia de revelatione corporis sancti Bertini abbatis in saeculi tertii parte i. Denique si Anscherus abbas librum de miraculis Rheimensi archiepiscopo per se obtulit, non aliam sine dubio auctorem adhibuit ad librum de vita componendum, qui papae offerendus erat. Adde quod Hariulfus majori cum delectu et iudicio scribit, quam is qui alterius Vitae conditor est, quem Anscherum in consequentibus appellabo. Prae Hariulfo et Anscheri mentio erat de gestis Angilberti in vetusto libro de abbatibus Centulensis monasterii nunc deperdito, quem Gervinus abbas Gorziae invenit, teste Hariulfo.

3. Praeter hos auctores, Joannes de Capella Centulensis monachus in Chronico Centulensi, quod « Eustachii abbatis permissione anno Domini millesimo quadringentesimo nonagesimo secundo » composuit, agit etiam de sancto Angilberto ; uti et Paulus Petavius in *Syntagmate de Nithardo*, Guillelmus Petavius, de Capella regum Franciae, cap. 30 ; Menardus noster, in *Observationum ad Martyrologium* lib. ii ; Jacobus Malherbensis, in lib. ii de *Moriis*, et Ignatius Josephus, in lib. ii historiae Abbavillanae.

II. Angilberti nomen duplex, parentes et patria, educatio.

4. Angilbertus seu Anghilbertus, Engilbertusve, adscititio nomine *Homerus*, claro apud Francos palatinorum genere exortus est. Ipsius genus illustre probant tum singularis familiaritas cum Carolo Magno, tum copula cum Berta ipsius Caroli filia, tum denique praecleara reipublicae munera quae gessit. Ignota utriusque parentis nomina : idque solum verbis de filio ejus propinquis superest, quod Nithardus ejus filius scriptum reliquit in Historiae lib. iv, ubi de

Angilberto : « Fuit hic vir ortus eo in tempore haud ignotae familiae. Madhelgaudus autem, Richardus, et hic, ex una progenie faere, et apud Magnum Carolum merito magis habebantur. » Is mihi videtur esse Madelgaudus, qui una cum Magenardo episcopo missus anno secundo Caroli Magni designatus est « in Cenomanico, Heronensi [E. Buxoniensi], » aliisque adjacentibus Neustriae pagis. Richardus vero comes, qui una cum Willeberto Rothomagensi ann. 795, in libro de Vita Ludovici Augusti. Ex quibus conjectura est Angilbertum origine Neustrasium fuisse. Haec nomen, ut dixi, adscititium fuit Homeris, quo nomine eum passim laudat Alcuinus, Theodulfus, et si qui alii. Eodem vocabulo Grimoaldum Ludovici Augusti capellanus affectit Walafridus Strabus in carmine quod apud Henricum Canisium exstat in tomi VI pag. 622.

5. Eumdem in aula Caroli educatum fuisse legimus in quadam Adriani papae epistola ad Carolum pro synodo Nicena secunda, seu pro imaginibus, in qua laudat pontifex « Engilbertum, qui pene, inquit, ab ipsis infantibus rudimentis in palatio vestro nutritus est. » Anscherus scribit Angilbertum in aula Pippini regis « palatinis atque regalibus negotiis implicatum » degisse. Malim in aula Caroli, ut satis Adriani verba innuunt. Neque enim Pippino regnante Angilbertus ejus erat aetatis, qui palatina tractare negotia posset. Certe Alcuinus eum solet *filius* appellare, non aliam ob causam quam quod longe senior ipso erat ; quod secus foret, si Pippini principatu jam vir et tractandis reipublicae negotiis idoneus fuisset Angilbertus.

III. Connubium cum Berta, an post susceptum sacerdotium, qui liberi.

6. Bertam Caroli Magni filiam, Angilberti amore captam persuasisse patri, ut sibi cum eo nubere liceret, idque obtinisse legitur in Angilberti posteriori Vita. Joannis Bollandi animum mira distraxit hic laevis. Videbat homo perspicacissimus, ejusmodi conjugii nullam apud veteres fieri mentionem ante Hariulfii aetatem, qui vixit post annos ab Angilberto trecentos. Bertam Caroli filiam tertio loco, id est post Pippinum et Rotrudem, genitam ex Hildegarde, quae non nisi anno 772 desponsata Carolo est, vix fuisse nubilem ante annum 792, quo Angilbertus jam Centule monachus erat. Videbat, inquam, Angilbertum passim laudari ab Alcuino, nonnuquam etiam ab Adriano papa et Eginhardo, imo et a Carolo rege : nec usquam tamen Caroli *generum* appellari. Ad haec, Carolum, teste Eginhardo in ipsius Vita, adeo filias suas adamasse, « ut nullam earum cuiquam, aut suorum, aut exterorum, nuptum dare voluerit : sed omnes secum usque ad obitum suum in domo sua retinuerit, dicens se earum contubernio carere non posse ; ac propter hoc, licet alias felix, adversae fortunae malignitatem expertus sit : quod tamen ita dissimulavit, ac si de iis nunquam alicujus patris suspicio vel fama exorta fuisset. » Atqui ex adverso Nithardum, cui fidem negare nefas, testari de Angilberto, quod « ex ejusdem magni regis filia Berchta se fratremque suum Harnidum genuerit. » Haec, inquam, advertebat Bollandus, eaque modeste urget, professus se nolle traditionem Centulensium convellere, aut sancti Angilberti Vitam refutare, neque vero quid scdm de regia virgine, deque illustri palatino ac sacerdote suspicari : sed tantum ea quae animo scrupulum movebant exponere. Sane haec magna habent difficultatem. Nam ut caetera dissimulata quae facile solvi possunt ; Eginhardi testimonium, viri gravis ac testis rerum oculati, vix commode explicari potest, nisi dicas Carolum, si quam alicui suorum filiam suam nuptum locarit, non passum esse ut in domum sponsi migraret, sed eam secum retinuisse, aut Angilbertum non solemni, sed secreto cum Berta matrimonio fuisse conjunctum. Omnem enim illicitae copulae suspicionem diluere videtur Angilberti per-

petua et constans cum Carolo necessitudo et familiaritas, incorrupta ejus fama et existimatio apud omnes, insignes legationes Romanæ, aliæque præclaræ dignitates ipsi concessæ. Siquidem vix in animum inducere quis potest Carolum, virum prudentem ac sapientem, ut filix probrum dissimulare potuerit, tantum honoris et amicitia contulisse homini, qui familie suæ istam labem intulisset. Denique si ipsius Eginhardi uxor Emma fuit Caroli filia, Carolo probante ducta, uti multa certe persuadent, quis mivetur nullam de Angilberti cum Berta conubio fieri mentionem ab Eginhardo, qui ne uxorem quidem suam inter filias Caroli recensuit? Fabula, inquis, chronographi Laureshamensis. Et tamen Lotharium, Ludovici Augusti filium, nepotem suum non obscure vocat Eginhardus, cum ait in epistola 34, ad Lotharium: « Quapropter adnondum consui neptitatem tuam, ut per prudentiam vobis a Deo concessam caveatis periculum vestrum. » Si Lotharius Eginhardi nepos, ergo propter uxorem, quæ proinde Caroli filia fuerit. Et tamen, ut dixi, Eginhardus uxorem suam Emmam (sic eam ipse vocat in litteris suis) nusquam inter Caroli filias recenset. Quid mirum si Angilberti eam Berta conubium, qui ipse suum, prætermisit? Neque vero huc officium reliqua dubia a Bollando proposita. Rotrudis Caroli filia nata major Constantino Græcorum imperatori desponsata est anno 781, ut in veteribus Francorum Annalibus legitur. Quidni Berta ipsam proxime sequens Angilberto desponsari potuit aliquot post annis? Certe Hildegardis utriusque mater Carolo nupsit ante annum 770. At quo anno, inquis, Berta nupsit Angilberto? Existim id factum vix ante annum 787, quo fere anno cum Carolus junior, Caroli Magni filius, Offa Merciorum regis filiam in conjugium postularet, non acquievit Offa, « nisi Berta filia Caroli Magni suo filio nuptui traderetur, » ut in Chronici Fontanellensis cap. 15 in editis legitur. Etsi vero Bertam Offa negavit Carolus, hinc tamen argumentum capio, eam necdum Angilberto copulatam fuisse, aut saltem Offam id ignorasse. Postremo in epistola Adriani ad Carolum Magnum, non decuit forsitan Angilbertum regis generum dici, propterea quod inæqualis erat conditio. Et Alcuini epistolæ ad Angilbertum, aut nondum uxorato, aut jam monacho et abbati directæ sunt. Hæc ut in lubrico loco.

7. Aliud nobis negotium facessit posterioris Vitæ scriptor, cum ait Angilbertum jam sacerdotem Bertam duxisse in matrimonium. Verum hujus auctoris sententia tanti non est, ut in ea excutienda longum funem trahamus. Cum enim inaudita sit hæc res, sacris canonibus repugnans, et a nemine non nisi post annos trecentos scripta, imo ab Hariulfo prioris Vitæ conditore graviori tum prætermissa; æquum est ab ea nota vindicare Carolum, qui canonum studiosissimus erat, ut patet tum ex ipsius ad Leonem papam litteris, quibus eum ad servandos canones hortatur; tum ex epistola ad Offam Anglorum regem, cui presbyterum Scottum, propterea quod violatæ quadragesimalis abstinence reus dicebatur, judicandum remittit, « ut ibi, inquit, judicetur, unde exstitit. Nam ibi quoque sanctæ Dei Ecclesiæ puritas in moribus, et firmitas in fide, et honestas in conversatione secundum canonicam sanctionem observari debet, ut sit una, perfecta et immaculata columna. » Quanto minus tulisset sacerdotem ad nuptias convolare? quod ne quidem Græcis unquam post susceptum gradum licuit. Atqui videre mihi videor causam ob quam prædictus auctor in errorem impegit. Legebat Angilbertum Caroli capellanum fuisse. Non putavit hanc dignitatem ipsi concessam post monachatum, qui status removet homines a sæculi negotiis, et præcipue Angilbertum, qui regis copulæ ceterisque palatii honoribus nuntium remisit. Judicavit ergo Angilbertum fuisse capellanum, ac proinde sacerdotem, ante contractum matrimonium. Siquidem pro-

• Vide Patrologiæ tomum CII.

A bante ac sequente Berta uxore Centulam sese receperat conjugatus. At quid hac de re sentiendum sit, in sequenti capite explicabo.

8. Quid liberorum tulit ex conjugate Angilbertus, tradit Nithardus utriusque filius in Historia lib. iv agens de Angilberto, « qui ex ejusdem, inquit, magni regis filia, nomine Bertha, Harnidum fratrem meum et me Nithardum genuit; » quæ atque Nithardi verba referuntur ab Anschoero abbate, posterioris Angilberti Vitæ scriptore. Sunt qui prædictis duobus Angilberti filiis tertium adjungant Harduinum, qui aliis non immerito idem fuisse videtur cum Harnido, qui dictus sit Harduinus vitio librariorum.

IV. Dignitates ante monachatum, recessus in monasterium, dubium de Bertæ vita religiosa.

9. Quas dignitates in aula gesserit Angilbertus sæcularis opportunum fuerit hoc loco explicare. « Primicerium palatii » Pippini regis fuisse constat ex Alcuini epistola 144, et (si Hariulfo et Anschoero credimus) etiam « maritimæ Franciæ ducem. » Non assentior Petavio et Bollando, qui Alcuini epistolam, non de Pippino Italiæ rege Caroli Magni filio, sed de Pippino rege ipsius Caroli patre interpretandam putant: tum quia regnante Pippino Alcuinus nondum ferulæ subductus erat, qui non nisi Egberto Eboracensi pontifice mortuo (mortuus autem est anno 766, xiv Kal. Decembris, id est non integro biennio ante Pippinum) schohis Eboracensibus præfectus est; tum quia si tempore Pippini regis Angilbertus ad primam palatii dignitatem maturus exstisset, senior aut certe non inferior ætate fuisset Alcuino, qui tamen eum filium in ea epistola et in aliis vocat; tum denique quia hæc epistola directa videtur Angilberto in Italia existenti, ut pote cui portitorem litterarum (scilicet Folradum presbyterum, de quo etiam epistola sequens) Romam proficiscentem commendat, per quem sanctorum reliquias sibi transmitti rogat. Epistolæ hujus inscriptio et exordium tale est: « Fidei amico et venerabili Angelberto humilis levita Albinus salutem. Memor conductæ inter nos amicitia hæc litteras vobis dirigere præsumpsi, deprecans ut benigne harum portitorem litterarum suscipere dignemini, et peregrinationis illius viis dominum Pippinum regem subvenire deprecemini. » Et infra: « Insuper, charissimus frater, devotissime deflagito ut dona dulcissima et mihi multum necessaria, id est sanctorum reliquias, mihi vel aliquas transmittere cures. » Tum in fine. « Floreas, filii, virtutum coronis » etc. Denique in titulo epistolæ: *Ad Angelbertum Primicerium palatii Pippini regis*. Amicitia hæc inter Alcuinum et Angilbertum, non nisi post Alcuini in Galliam adventum « conductæ » fuisse videtur. Alcuinum bis minimum in Gallia mansisse dicemus inferius in ipsius Vita nimirum ab anno 780 in aliquot annos, quibus Carolo adhæsit; et ab anno 793 in reliquum ætatis. Prima vice in aula familiaritatem et amicitiam contraxit cum Angilberto, quem Carolus Pippini filii sui anno 781 regis in Italia coronati Primicerium palatii, hoc est primum consiliarium, constituit. Hoc officium gessit per annos aliquot: successor datus Adalhardus, postea Corbeiensis abbas. Angilbertum in Italia fuisse, Alcuinum vero in Gallia, eo tempore quo Carolus in expeditione Saxonica occupatus erat, patet ex Alcuini epistola ad Damocetam, in qua hæc verba: « Ego pene quasi orbatu filii remanebo domi. Damoceta Saxoniam, Homerus Italiam, Candidus Britanniam recessit. » Cujus rei gratia in Saxoniam profectus esset Damoceta, indicant superiora verba: « Valde sollicitus sum de itinere perfectionis tuæ in hostem, quia plurima solent in talibus evenire pericula rebus. » Et in fine Deum precatur ut David « dilectum suum et vos omnes victores cum gaudio reducat in patriam. » David Carolus Magnus, Homerus Angilbertus, Damoceta Ricolfus intelligendus est. Ricolfus porro adhuc tum diaconus erat, necdum archiepiscopus Moguntinus, quo in munere Lullo successit sub-

anem anni 787. Expeditio hæc contigit anno 792, aut alterutro duorum sequentium, quibus Carolus in Saxoniam cum exercitu contendit. Ergo eo tempore Angilbertus, non in Gallia, sed in Italia morabatur, in aula videlicet Pippini regis.

10. Præterea « maritimæ Franciæ dux » appellatur Angilbertus ab Hariulfo et Anscherio, qui nomine « Franciæ maritimæ » pagum Bononiensem aliosque Oceano Britannico adjacentes intelligunt. Interpolator Vitæ sancti Richarii « ducatum maritimæ Franciæ a fluvio Scalda usque ad Sequanam » protendit. Anscherus addit, Danos per id tempus effusos in illam oram divinitus subactos ac interecione deletos ab Angilberto fuisse, voto ab eo facto, « se statim post victoriam vestem monasticam induturum. » De hac Danorum impressione silent veteres Francorum Annales : et si quidem vera est hæc Angilberti victoria, contigit post ipsius ex Italia reditum circiter annum 787, quo Bertæ jam copulatus erat.

11. Deinde circiter annum 790 secessit in monasterium Centulense, ubi post solitam probationem monachus factus est sub Symphoriano abbate. Duplicem hujus secessus causam affert Anscherus, morbum et victoriam de Danis. Hujus secessus hortatores duos habuit Angilbertus, Alcuinum scilicet et Adalhardum abbatem Corbeensem, uti fidem facit Alcuinus ipse in epistola ad Antonium, quod alterum Adalhardi nomen erat. Videbat Alcuinus Homerum seu Angilbertum spectaculis theatricis delectari, doluitque id ab discipulo suo committi contra severitatem Christianæ pietatis. Angilbertum hac de re corripuit : cunctabundum rursus ab Adalhardo commoneri postulat. Alcuini verba hæc sunt in epistola 107 : « Vereor ne Homerus irascatur contra chartam prohibentem spectacula et diabolica figmenta, quæ omnes sanctæ Scripturæ prohibent, in tantum, ut legem sanctum dicere Augustinum : Nescit homo qui histriones, et mimos, et saltatores introducit in domum suam, quam magna eos immundorum sequitur turba spirituum. Sed absit ut in domo Christiana diabolus habeat potestatem. Olim tibi de his scripsi, optans salutem charissimi filii toto cordis affectu, volens per te fieri, quod per me non posse fieri agnovi. Tuus vero affectus, filii charissime, congaudeat in servitio Dei et in salute fraterna : ut tibi ex profectu aliorum merces accrescat meritorum. » Hinc intelligimus, quæ piorum hominum eo tempore mens fuerit de theatricis illis spectaculis, quæ ne quidem in homine curiali ferre poterant. Homerus vero Alcuini et Adalhardi piis monitionibus cessit, et nuntium his pompis ac sæculo remisit. Confer num. 29 infra.

12. An Bertæ cum marito Centulam se receperit, sicut tradit Anscherus, inquirendum hoc loco est. Audiendus Anscherus in Vitæ cap. 4 : « Sic nempe Angilbertus a rege digrediens Centulam revertitur : et contempto pomposæ dignitatis fastigio, primo omnium sponsam suam nobilissimam Bertam, sacro velamine consecratam, loco congruenti intra idem cœnobium Centulense composuit, sacris vigiliis et devotis jejuniis divinisque canticis cum multo fervore insistentem ; quo peracto, in cœtu monachorum Angilbertus solo prosternitur, et perfusus lacrymis exorat humiliter ut sacræ conversationis habitum accipere mereretur, etc. » Brevius Joannes de Capella in Chronico Centulensi : « Sanctus Angilbertus ex consensu uxoris suæ et Caroli Magni factus est religiosus in cœnobio Centulensi : et Bertæ ejus uxor monialis et reclusa in eodem monasterio. » Hariulfo de Bertæ secessu silet. Sane sanctimoniales feminas suscepto velo in adjunctis monasterio ædibus (quod in aliis monasteriis passim ævo illo frequentatum) aut certe in privatis vixisse constat ex libro primo de miraculis sancti Richarii abbatis, cap. 16, ubi agitur de quadam femina conjugata oculorum lumine privata, « quæ deprecata est virum suum ut eam relinqueret, licentiamque daret velum suo capiti imponere, affirmans se per visionem monitam, ut in

monasterio sancti Richarii apud sanctam Mariam acciperet velum capitis more monialium ; et ut ab ipso deinceps aleretur victu elemosynario humiliter postulavit : quod ut ille audivit, consensus. Ipsa a suis adducta ad basilicam sanctæ Mariæ, ut ipsa petierat jam dictum habitum suscepit. Cum vero in ipsa die reverteretur, etc. Et in lib. II, cap. 4, de contracta quæ, recepta sanitate, « usque hodie, » inquit auctor sæculi noni, « visitat orationes [Forte, oratorium] frequenter illius, ferens velum capitis instar monialium. » Quibus in locis tria observanda : nempe mulieres illas castitatem vovisse, velum suscepisse instar sanctimoniales ; et plerasque vixisse in ædibus suis privatis, ut feminas devotas quibus Herardus Turonensis episcopus in capitul. 37 vetat ne velum rejiciant, « licet in domibus propriis vestes mutarint. » Ejusmodi femine aliquando etiam degabant in palatiis regum, qualis erat Hundrudis Anglicana matrona, ad quam Alcuinus epistolam 89 inscribit in hunc modum : *Deo devotæ femine Hundrudæ* ; quam monet, « ut in palatio regis regularis vitæ devotio in ipsius videatur conversatione. » Hinc fit ut mirum non sit quod etiamsi Bertæ eam vite formam Centulæ professa sit, in palatium tamen patris aliquando redierit. At mirum, si cum religioso velo sæculares pompas retinere potuerit. Et tamen in poemate quodam de Caroli Magni adventu ad Leonem papam, quod Alcuino tribuitur, de toto regis comitatu agens auctor, ita de Bertæ canit post Rhodrudem :

Proxima Bertæ inter, multis sociata puellis,
Voce virile, animo, habitu, vultuque coruscans,
Os, mores, oculos, imitantia pectora patris
Fert ; caput aurato diademate cingitur auro :
Aurea se niveis commiscens fila capillis.
Lactea quippe ferunt pretiosam colla murinam :
Ornatur vestis varis pretiosa lapillis,
Ordine gemmarum numerosa luce coruscant.
Bractea chrysolitis ornatur tegmina gemmis.

Hæc longe absunt a religiosæ femine habitu ; cum pro velo diadema, pro modestis devotæ vestibus totus mundus muliebris, qualis regiam prolem decebat, Bertæ tribuatur. Intererat etiam huic pompæ Gisla seu Gisala, tertia Caroli filia, tametsi jam erat sanctimoniales ; at ipsius ornatum longe alium describit idem poeta his aliisque versibus.

Gisala post istas sequitur, candore coruscans,
Virgineo conitata choro : micat aurea proles.
Tecta melocine fulgescit femina amictu :
Mollia purpureis rutilant velamina filis.

En sanctimoniales insignia, virgineus comitatus, velamina seu velum, « purpureis filis » rutilans, tametsi « flammeum » quondam sponsorium erat. Nulla istic mentio diadematis aurei, lapillorum, gemmarumve, aut bracteorum indumentorum : quibus Bertæ ornata fuisse perhibetur. Porro id accidit sub finem anni octingentesimi, cum fere ante decennium Angilbertus Centulam se recepisset. Huc etiam trahi possent versus Theodulfi Aurelianensis episcopi ad Carolum in lib. III, carmine 1, ubi simili fere modo Bertam describit anno 796. An vero hæc devotæ ac reclusæ femine competere possint, aliis æstimandum relinquo. Eginhardus in Vita Caroli auctor est, quatuor tantum ejus liberos, Carolum scilicet, Pippinum et Rotrudem, ante patrem decessisse : supervixit proinde Bertæ, cujus obitus in Necrologio Dionysiano et Argentogilensi ascribitur his verbis : « v Idus Martii Bertæ filia Caroli imperatoris, quæ dedit superiorem curtem. » Forsan post patris obitum Centulam secessit, cum Caroli filia ob sinistram famam e palatio exire jussæ sunt a Ludovico Augusto, qui eas « incessanter, » teste Nithardo, « ad sua monasteria abire præcepit. »

V. Sacerdotium, abbatiale munus, legationes.

13. An sacerdos fuerit Angilbertus dubium esse potest. Etsi enim « ministrum capellæ » regis ipsam vocat Adrianus papa, non tamen continuo sacerdotii gradu insignitus dicendus est, sive Adriani epistolam

de archicapellano, sive de secundi ordinis capellano interpretaris. Testis ea de re Hincmarus in opusculo 14 de ordine palatii ex libro Adalhardi abbatis Corbeiensis; nam in istius opusculi cap. 14, agens de apocrisario, hæc inter alia effatur: « Aliquando per episcopos, aliquando vero per diaconos apostolica sedes hoc officio fungebatur... Et in his Cisalpinis regionibus, postquam Ludovicus prædicatione beati Remigii ad Christum conversus... exstitit, per successiones regum sancti episcopi ex suis sedibus et tempore competenti palatium visitantes, vicissim hanc administrationem disposuerunt. A tempore vero Pippini et Caroli interdum per presbyteros, interdum per episcopos regia voluntate atque episcopali consensu; [interdum] per diaconos vel presbyteros magis quam per episcopos hoc officium executum exstitit. Apocrisarius autem, » uti ipse in capite 16 subdit, is erat, « quem nostrates capellanum vel palatii custodem appellant: qui omnem clerum palatii sub cura et dispositione sua regebat. » Non ergo ex capellani dignitate recte inferas, Angilbertum fuisse sacerdotem; siquidem eo tempore quidam capellani erant solum diaconi. Neque etiam id colligi ex abbatiis dignitate potest: nam et Paschasius Radbertus Corbeiensis abbas, et plures alii abbates, sacerdotalis ordinis expertes erant. Denique in Alcuini epistolis, ubi frequens Angilberti mentio, *presbyter* nusquam appellatur; quam tamen appellationem Alcuinus in primis exprimere solet. Atque ut sacerdos fuerit vir sanctus, non tamen ad eum gradum promotus fuisse dicendus est ante monasticam professionem, quidquid in contrarium dicat Ansheerus, ratus forsitan (quod verum non est) Capellanum regis nullum fuisse, nisi sacerdotem.

14. Symphoriano abbate mortuo, Angilbertus communibus monachorum votis, probante Carolo rege, dignitatem iniit. Id factum puto anno 793, tertio fere anno ab ingressu monasterii. Argumentum meo ex eo quod in ea legatione quam anno 792 aggressus est Romam, ut Felicem Orgellitanum episcopum hæreseos Ratisponæ convictum deduceret « ad præsentiam Adriani papæ, » nondum abbas appellatur, sed nudo nomine Angilbertus; anno vero 794 in alia legatione ad ipsum Adrianum in causa septimæ synodi, eum Adrianus Angilbertum abbatem vocat.

15. Quippe tres lego illustris viri legationes Romanas, quas omnes executus est jam monachus. Prima in causa Felicis anno 792, ut jam dictum est. Annales Loiseliani ad eum annum: « Hæresis Feliciana primum audita, et in Reganesburg primo condemnata est; quem Angilbertus ad præsentiam Adriani apostolici adduxit. » Ita Vita Caroli auctore incerto, et alia auctore monacho Ecolismensi: quibus totidem verbis concordat Regino in Chronico. Secunda legatio contigit anno 794, quo Carolus habito Francofurti concilio libros quatuor adversus septimam synodum de colendis imaginibus editos ad Adrianum papam misit per Angilbertum, per quem Adrianus Carolo rescripsit epistolam hæc verba continentem: « Præterea directum a vestra clementissima præcelsa regali potentia suscepimus fidelem familiarem vestrum, videlicet Engilbertum abbatem et ministrum capellæ, qui pene ab ipsis infantia rudimentis in palatio vestro enutritus est, et in omnibus consiliis vestris receptus: ut ideo sicut a vobis in omni familiaritate recipitur, ita et a nobis reciperetur, et condecorer honoraretur. Unde pro nimio amore quem erga vestram mellifluam gerimus regalem excellentiam, sicut misistis, cum nimio amore dulcedinis eximie eum suscipientes, prout voluit, et qualiter voluit, cum magna familiaritate nobis enarrantem aure placabili et benigna eum suscepimus, et quasi vestra corporali excellentia nobis narrante, nostrum ei patientius credidimus consilium, ad profectum sanctæ nostræ Romanæ Ecclesiæ, et vestræ a Deo

A protectæ potentie exaltationem. Inter quæ edidit nobis capitulare adversus synodum quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est. Unde pro vestra melliflua regali dilectione per unumquodque capitulum responsum reddidimus. » Ex quibus patet quo in loco apud Carolum Magnum fuerit venerabilis abbas: cui Romam abeunti Alcuinus nomine suo commendatorias ad Adrianum papam dedit litteras, quæ apud Chesnium ordine 63 habentur. De tertia legatione ita scribit Eginhardus: « Anno 796 Romæ, Adriano defuncto, Leo pontificatum suscepit, et mox per legatos suos claves confessionis sancti Petri ac vexillum Romanæ urbis cum aliis muneribus regi misit: rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret. Missus est ad hoc Engilbertus abbas monasterii sancti Richarii; per quem etiam tunc ad sanctum Petrum magnam partem thesauri, quem Ericus dux Forojuliensis spoliata Hunorum regia, quæ Ringus vocatur, eodem anno de Pannonia regi detulerat, misit. » Idem legitur in aliis Annalibus Francorum. Quid præter ea Romam proficiscenti in mandatis dederit Carolus, exponit Alcuini epistola a ipsius Caroli nomine *Homero auriculario* porrecta, in qua hæc verba: « Divina regente misericordia iterum et prospere te adducere ad domum apostolicum Patrem nostrum, admoneas eum diligenter de omni honestate vitæ suæ, et præcipue de sanctorum observatione canonicum, de pia sanctæ Dei Ecclesiæ gubernatione, secundum opportunitatem collationis inter vos et animi illius convenientiam. » Ut vir fuerit maxime disertus, doctus sapiensque necesse est, cui talia mandata a sapientissimo rege ad supremum Ecclesiæ pastorem perferenda committerentur. Carolus insuper in epistola 84, ad Leonem papam, « Angilbertum, inquit, manulem vestræ familiaritatis vestræ direximus sanctitati: quem prius, sicut promissimus per religiosos viros Compolum et Anastasium, beatissimo Patri nostro, prædecessori vestro dirigere curavimus... illique omnia injunximus, quæ vel nobis voluntaria, vel vobis necessaria esse videbantur: ut ex collatione mutua conferatis, quidquid ad exaltationem sanctæ Dei Ecclesiæ, vel ad stabilitatem honoris vestri, vel patriatus nostri firmitatem necessarium intelligeretur. » Non poterat cuiquam contingere honorificentior provincia. Eidem etiam Alcuinus in manus dedit epistolam 92 ad *dulcissimum filium Homerum* pro reliquiis sanctorum, tum epistolas 72 et 73 ad Leonem papam et ad Paulinum Forojuliensem patriarcham: in quibus Angilbertum *charissimum filium* vocat. De hac legatione interpretandus est locus Theodulfi Aurelianensis episcopi in lib. III, carmine I, ad Carolum, in quo de recens allatis Hunorum gazis, deque illius gentis ad Christi fidem nupera conversione agens, hæc habet de Angilberto absente a curia ob legationem.

Dulce melos canerem tibi, ni absens, dulcis Homere, Esset: sed quoniam es, hinc mea Musa tacet.

VI. Officia et dignitates palatinæ post monachatum.

16. Quas dignitates ante monachatum sustinuerit Angilbertus, superius dictum est: nunc quas gesserit monachus abbas explicandum. *Auricularius* et *manualis* dicitur a Carolo in epistolis modo relatis, et *Minister capellæ* regis, et in omnibus Caroli consiliis receptus ab Adriano. *Silentiarius* denique ab Ansheero.

17. Auricularii mentio nulla in libro de ordine palatii, cujus fragmentum ex Adalardo Corbeiensis abbate Hincmarus refert in opusculo 14. Hanc dignitatem fuisse puto ex numero illorum consiliariorum, qui « familiariter tam de statu regni, quam de speciali cujuslibet persona » cum rege secreto tractabant, teste Hincmaro in ejusdem opusculi cap. 31, quales modo consiliarios et secretarios regni appellamus. Sic ab intimis secretis et consiliis Carolo erat

* Inter Epist. Caroli M., *Patrologiæ* vol. XCVIII, col. 909 exist. 9.

Angilbertus, cui in auream secreta præcipue committentur, unde forsitan dicitur *Auricularius*.

18. Quia vero, uti Hincmarus eo loco tradit, inter ejusmodi consiliarios hæc erat lex, « ut quidquid inter se locuti fuissent, nullus sine consensu ipsorum cuilibet domestico suo, vel cuiquam alteri prodere debuisset; » hinc *Silentiaris* poterunt dici, quod nomen ab *Anscher*o tributum Angilberto est. Quamquam veri simile est, *Anscherum* primum, nulla forsitan auctoritate, id tribuisse Angilberto ex imitatione Græcorum, apud quos *silentiaris* dignitas magno in pretio est. Qua de re legenda est viri multigena eruditione præditi Caroli Fresnii adnotatio in historiam Joannis Cinnami, ubi observat *silentium* et *silentiarium*, Græcis *σιλεντιον*, pro dissertatione seu collatione, imo et pro collationis loco sumi apud pleerosque scriptorum (quale est illud vulgati Anastasii in Stephano papa III « in *silentio* Leati Petri apostoli, » ut habetur in variis lectionibus editionis regie, ubi *silentium* videtur esse quod alias secretarium ecclesie dicitur), et silentiariorum dignitatem adeo illustrem fuisse, ut in concilio Chalcedonensi, actione 1, *συνουσιαστικον* epitheton iis tribuatur; et Damasus papa in epistola ad Acholium testetur, nihil addi posse « ad meritum rustici, cum habeat prærogativam officii sui, quod silentiaris esset Gratiani Augusti. » Verum, ut dixi, hæc dignitatis appellatio maxime usitata apud Græcos, ex quorum imitatione *Anscherus* eam tribuisse Angilberto videtur: quo nomine ipsam auricularii seu supreni consiliarii dignitatem hic significari puto.

19. « *Manuensis familiaritatis* » Leonis cum Carolo rege dicitur in epistola Caroli ad Leonem. Secretarius scilicet seu ab epistolis, quas Romanis pontificibus aliisque summatis Carolus scribebat. Huc pertinet Alcuini ad Carolum epigramma 184.

Ad nos quippe tuus famulus veniebat Homerus,
Nuntia læta ferens, David, ab ore tuo.

Et in fine :

Hunc iterum puerum vestra pietate remis,
Serviat ut vobis carmine, corde, manu.

Cave tamen putes enim summum cancellarium fuisse, nulla enim diplomata ejus nomine subsignata et recognita leguntur. *Anscherus* in Vita posterioris cap. 7 notat *Centulæ* ab Angilberto reposita fuisse « instrumenta regii notarii aurea, » quibus Angilbertus procul dubio quondam usus fuerat.

20. Denique teste Adriano papa, « minister capellæ » regie erat, id est primas capellanorum seu archicapellanus, ut *Anscherus* interpretatur, et post eum *Guillelmus Peiratus*, *Paulus Petavus*, et *Sancta Marthani*. Archicapellanum fuisse negant *Bollandiani*, rati eum fuisse unum de capellanis regii, non primum: tum quia nusquam hoc nomine appellatur ab *Alcuino* et aliis, tum quia in archicapellani dignitate *Fulrado Dionysiano* abbati successit *Angilramnus Metensis* episcopus, *Angilramno Hildeboldus Coloniensis* antistes, ut constat ex *Hincmari* opusculo 14, qui *Hildeboldus* eam dignitatem retinuit post mortem Angilberti. Ex testimonio *Hincmari* nihil certum confici potest. Non enim *Hincmari* consilium fuit ut accuratam archicapellanorum iudicem exhiberet, sed tantum ut exempla quædam proponeret eorum qui tempore *Pippini*, *Caroli* et *Ludovici*, hoc munere defuncti erant. Hunc vero iudicem non esse absolutum et accuratum ex eo intelligitur quod *Hincmarus* scribit in cap. 14, hanc dignitatem aliquando per diaconos regnantibus *Pippino* et *Carolo* administratam fuisse: nec tamen in exemplis capite sequenti allatis ullum diaconum profert. Et certe si minister capellæ regie fuit Angilbertus, ut constat ex *Adriani* epistola, non unum de inferiori ordine, sed summum fuisse admodum probabile est; tum quia apud *Carolum regem* maximo in honore fuit, tum quia ad eam dignitatem pertinebant legationes,

A quas Angilbertus frequentes habuit. Denique, ut quod hæc de re sentio tandem exponam, existimo archicapellani dignitatem per id tempus divisam in duas fuisse, in honorariam scilicet ad legationes obeundas, et in ordinariam ad regendum clerum palatii et negotia ecclesiastica tractanda; et priorem quidem concessam Angilberto, *Hildeboldo* archiepiscopo *Coloniensi* posteriorem: ut scilicet semper præsens esset qui causas ageret, qui palatinos clericos regeret, qui benediceret cibos regie mensæ, nam id officii archicapellano tribuit *Theodulfus Anrelianensis* episcopus in lib. III, carmine 1, his versibus:

Adit præseul ovans animo vultuque benigno.

Ora beata ferens, et pia corda gerens.

Quem sincera fides, quem tantus culminis ordo,

Pectus et innocuum rex tibi, Christe, dicat.

Stet benedicturus regis potumque cibumque.

Sumere quin etiam rex velit, ille volet.

Sane et *Angilramnum* et *Hildeboldum* in palatio assidue remorari volebat *Carolus*, ut constat ex concilii *Francfurtensis* canone 56. « Dixit etiam dominus rex in eadem synodo, se a sede apostolica, *Adriano* pontifice, licentiam habuisse, ut *Angilramnum* archiepiscopum in suo palatio assidue haberet propter utilitates ecclesiasticas. Deprecatus est eandem synodum, ut eo modo sicut *Angilramnum* habuerat, ita etiam *Hildeboldum* habere debuisset. » Sic ergo res ecclesiasticas in palatio curabat post *Angilramnum* *Hildeboldus*, legationes Angilbertus, uterque archicapellanus; ille ordinarius, hic honorarius. Hæc meæ conjecturæ, quas eruditorum hominum æstimationi subijcio.

VII. *Monasterii Centulensis instauratio, diplomata, census.*

21. An monasterium *Centulense* plus debeat *Richario* conditori, quam *Angilberto* instauratori et amplificatori suo, vix statui potest. Quantum decoris et ornamentum hic loco addiderit, argumento sunt instrumentum et carmina ab ipso hæc de re condita, quæ ex *Hariullo* et *Anscher*o infra exhibebo. Nam tres eo in loco erectæ basilicæ, ad quas per triangulare claustrum seu dormitorium iter continuum erat: in quibus *Acemetarum* more perpetua jusque psalmodia (*Laudem* perennem vocant) celebrabatur. In his aræ multe, reliquiarum sacrarum et ornamentorum immensa suppellex: quæ omnia vel contuli *Angilbertus*, vel *Carolo* donante promeruit. *Monasterii* novam fabricam aggressus videtur ab anno 793, quo creatus est abbas. *Ecclesiæ* majoris dedicatio post tertiam legationem ex Italia anno (ut conjector) octingentesimo primo est facta per episcopos duodecim; translata sanctorum *Richarii*, *Caldoci*, et *Fricorii*, alio nomine *Adriani*, corpora in pretiosas thecas, quas versibus exornavit. Denique ne quid suæ in *Richario* devotioni deesset, ejus *Vitam* per *Alcuinum* elegantiori stylo expoliri curavit, præcipiente *Carolo Augusto*, qui « Pascha anni 800 apud sanctum *Richarium* celebravit, » teste *Eginbardo* in *Annalibus*. Hæc omnia tum propensa in Deum pietate, tum eximio adversus sanctum *Richarium* studio aggressus executusque est.

22, 25. Post hæc vir sanctus obtinuit a *Carolo Magno* ut monasterium *Forense* [*Forestmonstier*], constructum eo in loco, ubi sanctus *Richarius* supremos vite dies absolverat, a *Centulensi avulsam*, denuo ipsi perpetuo subderetur, uti discimus ex ms. fragmento, quod *Hariulfi* chronographi exemplari cum *Caroli diplomate* subjectum est in hunc modum: « Postquam igitur memorabilis *Angilbertus* cum summa cordis diligentia locum restruxit, et non solum interiora, sed ejus etiam exteriora magno decore ornavit, et cum jam rite peractis omnibus in loci reedificatione laborare desiisset, accessit ad domnum *Carolum Magnum* regem, et petiit ut cellam *Forensem*, quam sanctus *Richarius* primus inhabitarat et ædificaverat, quamque multis et magnis

miraculorum signis ob ejusdem sancti merita Dominus illustrabat, sua regia auctoritate ad abbatem Centulae perpetim pertinere firmaret. Et ille qui multo majora dilectissimo viro et pro sua sanctitate jam venerando prestare promptissimum existebat, hoc quoque ejus postulatam libentissime indulgit. Nec sola concessione simplici contentus, regium scriptum inde fieri jussit ad posterorum notitiam servandum, quod nostris archivis adhuc integrum servatur. » (Hanc chartam vide *Patrologia* tom. XCVII, col. 986.)

24. Anno Christi octingentesimo Carolus, teste Eginhardo cum aliis, « sanctum Pascha apud sanctum Richarium celebravit. Inde iterum per litus maris agens, Rothomagum civitatem venit: ibique, Sequana amne transmissa, Turonos ad sanctum Martinum orationis causa profectus est. Moratus ibi dies aliquot propter adversam Liutgardae conjugis valetudinem, quae ibidem et defuncta et humata est, inde per Aurelianos ac Parisios Aquigrani reversus est. Et mense Augusto inchoante Moguntiacum veniens, generalem conventum ibidem habuit, et iter in Italiam indixit, sub finem anni profectus Romam. » Eantem Angilbertus Romam comitatus est, ut scribit Petavius, et a Leone papa III privilegio obtinuit, ut totius Centulae villae (Petavii verba refero) curam ecclesiasticam solus haberet abbas: nec quidquam episcopus Ambianense sedis de ecclesiis aut clericis ejusdem loci constinere posset. Idque « suggestione » (Privilegii verba ista sunt, teste Petavio) « fratris et coepiscopi nostri Ambianensis antistitis Jesse, simulque Angilberti abbatis: quam quidem in praesentia gloriosi atque excellentissimi filii nostri Caroli (quem auctore Deo in defensionem et provectionem sanctae universalis Ecclesiae in Augustum hodie sacravimus) nobis intimarunt, » etc., fitque ibidem mentio Centulae monasterii, « nuper, inquit, restaurati » et in nobilem statum reducti. Hæc Petavius, qui in margine hæc addit: Quod privilegium Zacharias diaconus regionalis, et sancte atque apostolice Romanæ Ecclesiae bibliothecarius, viii Kal. Januarii, indict. 9 scripsit, recognovit et subscripsit. Quas Petavii verbis huc refero, quod ejusmodi privilegium mihi videre non licuerit. Error est Joannes de Capella, existimantis eo die et anno « privilegium mitræ, sandaliorum, annuli et aliorum pontificalium » etiam Angilberto ejusque successoribus concessum fuisse. Nondum enim illo ævo ejusmodi privilegia abbatibus concedebantur, quæ de re alias Deo dante fusius agam. Certe si usus sandaliorum et aliorum pontificalium ornamentorum pepes Centulaensem abbatem fuisset sæculo xi, frustra Leo papa nonus Gervino abbati Romam accito « sandalia obtulisset, jubens ut his Gervinus uteretur: » neque « venerabilis abbas ea ornamenta ex humilitate recusasse » diceretur apud Hariulfum in *Chronici* lib. iv, cap. 27.

25. Quantus fuerit eo tempore census monasterii Centulae, declarat Herici post Angilbertum abbatem « descriptio de thesauro et rebus seu vassallis sancti Richarii. » Hæc magna ex parte habetur apud Hariulfum in lib. iii, cap. 3. Sed tamen duo prætermisit Hariulfus, nempe enumerationem villarum a monasterio pendentium, quas Joannes de Capella recenset; et proventum ex oppido Centula, cujus proventus summam ex ms. codice et Joanne Bollando huc refero.

« In ipsa Centula habentur mansiones hominum secularium duo millia quingenta. Unaquæque persolvit denarios duodecim, pullos quatuor, ova triginta. Servitium domini abbatis et fratrum semper debent, ubicunque necesse fuerit. Molendina quatuor: unde redditur annona permixta sexcenti modii [*Joan. de Capella*, cxx modia bladi], porcos octo, aucas [*Boll.*, vaccas] duodecim. De mercato per hebdomadam xl solidos, de comæatu per hebdomadam viginti solidos. Sunt ibi clibana tredecim, quæ reddunt unumquodque per annum decem solidos et panes

A trecentos, flatones [*Cap.*, flannos seu tartas] in Litanis unumquodque triginta. Cura animarum in porticu sancti Michaelis deservit elemosynis fratrum, valens per annum quingentos solidos. Sepultura pauperum et advenarum in Novavilla in sancto Albino reddit per annum centum solidos ad portam nobilium, ad faciendam inde elemosynam. Eleemosyna abbatis per unumquemque diem quinque solidos: pauperes quotidiani trecenti, viduæ centum quinquaginta, clerici sexaginta. Mansorum unusquisque per annum solvit sextarium unum frumenti, similiter avenæ unum, et fabæ unum. De matrimoniis per annum viginti libras. Judicium forensium sexaginta octo libras per annum. Item ibidem vicus negotiantium omni anno pallium unum valens centum solidos. Vicus fabricorum cuncta persolvit ferramenta: valet per annum libras tres. Vicus scatariorum omnia voluminum indumenta tribuit, conficit, consuit: valet triginta solidos. Vicus sellariorum cunctas abbati et fratribus ibi degentibus obsoniat sellas. Vicus pistorum centum panes per hebdomadam. Vicus servientium per omnia liber est. Vicus sutorum cuncta famulorum et coquoꝝ calceamenta tribuit. Vicus lanistarum omni anno quindecim sextarios sagiminis persolvit. Vicus fullonum cuncta fratribus filtra administrat. Vicus pellificum cunctas fratribus pelles conficit et consuit. Vicus vinitorum sexdecim sextarios, uni, unumque olei persolvit per hebdomadam. Vicus cauponum unaquæque die triginta sextarios cervisiæ. Vicus militum centum et decem, unusquisque semper equum, scutum, gladium, lanceam, cæteraque arma exhibet. Capella nobilium solvit omni anno libras duodecim thuris et thymiamatis. Capellæ populi vulgaris quatuor, unaquæque solvit centum libras cere, incensi tres. Oblatio ad sepulcrum sancti Richarii valet omni hebdomada marcas ducentas, aut trecentas libras, præter alia donaria. »

26. Hactenus egregium antiquitatis monumentum, quod hic recudere visum est in gratiam nostrorum. Præter ea Joannes de Capella recenset centum et duas villas « per modum advocacionis » ad idem monasterium pertinentes in redditibus et proventibus, præter « centum et septemdecim villas seu oppida non declarata, per totidem milites possessa per modum feodi a dicta ecclesia: ex quibus unusquisque tenebatur servire domino abbati et conventui in armis et solemniter, et maxime facere stagium suis sumptibus in festis Nativitatis Domini, Paschæ, Pentecostes, et solemnitatum beati Richarii, cum suis familiaribus, et toties quoties erant requisiti. « Hodie quoque subsistit non sine aliquo pristinae dignitatis splendore monasterium sub congregatione nostra, subsistit et oppidum Centula: sed utrumque multum ab antiquo statu deficit.

VIII. Angilberti reliqua facta, scripta per ipsum et ad ipsum.

27. De reliquis Angilberti gestis id solum novimus, quod Caroli Magni testamento anno 811 condito subscripsit post episcopos et abbates Fridogisum et Adalungum Engilbertus.

28. Ad ipsius scripta quod attinet, etsi eum multa scripsisse veri simile sit, nihil tamen de eo nobis relictum est præter instrumentum ab ipso confectum de instauratione monasterii sui, et præter versus quosdam tum superius relatos, tum inferius referendos, tum eos quos exhibet Andreas Chesnius in *Historiæ Francorum* tomo II, pag. 646.

29. Ad eum scriptæ exstant Alcuini quædam epistolæ, cum Alcuini, tum Caroli Magni nomine, nempe 27, 42, 83 et 92. Laudatur in epistolis 15, 60, 63, 65, 72, 73, 84, et 95; item in poematis 184, 201, 221, 222 et 270, et in præfatione ad sancti Richarii Vitam. Theodulfus item Aurelianensis episcopus carmen edidit ad Angilbertum, quod est libri tertii tertium, de quo Jacobi Sirmondi judicium tale est: « Refertur est totum hoc Theodulfi carmen nominum

mutationibus, quæ ab iis fortasse qui audiebant, intelligi poterant; nunc inextricabiles videntur. Invenitur eo in loco Theodulfus in poetam quemdam, quem Angilbertus mensæ suæ participem faciebat, hominem qui in bonas musas importune se inferens, eas commaculabat, et peritioribus quibusque silentium imponebat. Carmen incipit ab his versibus:

Quid cyeni faciunt, resonant dum talia corvi,
Et tectis strepitant carmina multa meis?
Nunc fallax simulat hominis rea pica loquelam:
Despicens volucres, forcula sacra sedet.
Psittacus et varias imitator voce canenas,
Commaculans musas, vatis Homere, tuas.
Merulus atque Niger Ligeri piscator in undis,
Bergenses silvas nunc habitare solet.

Poetam hunc passim *Corvum* et *Corvinianum* a nigro colore vocat, contra quem Scottum quemdam infensum ita inducit:

Scottulus accinetus gladio te spectat acuto,
Perforet ut pectus, Corviniane, tuum.
Non timet hic corvos, volucris nec parceret ulli,
Si modo Damocem speret abesse procul.
Non pius est Scottus noster, Damoceta poeta.
Vertitur in luctum ludus ab ore prociæ.

Damoceta iste non alius est quam Ricolfus seu Riculfus, Theodulfo iterum laudatus in lib. III carmine, alio nomine Macarius dictus, tum palatinus diaconus, dein archiepiscopus Moguntinus post Lullum, is ad quem exstat Alcuini epigramma 258, cujus hi versus:

Hæc tibi, Macari, devoti munera, pastor:
Cum Christo et sanctis tu sine fine vale.
Sis memor Albini, memoret te gratia Christi:
Et tu, Nigre meus, candidus esto Dei.

Et infra:

Ut tibi mandavi, Bergenses instrue nostros,
Et tecum discat qui tibi perplateat.

Ex his veri simile fit Nigrum hunc esse ipsummet Corvum seu Corvinianum, quem Theodulfus insectatur: qui apud Bergenses seu Bergenses tum debebat, in aulam identidem irrepens et in mensam Angilberti, qui forsitan adhuc sæcularis erat, et ludicris rebus nimium addictus, ex dictis supra num. 41. An forte Niger et Corvinianus iste Scottus erat Clemens Scottus? quem Carolus docendi gratia in Francia retinuisse dicitur in lib. I Monachi Sancti Gallensis. Cæterum malim hoc loco legere *Bergenses*, uti apud Alcuinum, quam *Bergenses* apud Theodulfum: quo nomine, si non fallor, intelliguntur Bergenses monachi cœnobii sancti Petri in pago Mosao ad Roram fluvium, Mosæ aquis se miscerent ad Ruræmondam; quod cœnobium Berg appellatur apud Browerum in Annalium Trevirensium lib. VIII, ubi Lotharius rex hunc locum Hungero Trajecti inferioris episcopo donasse perhibetur anno regni tertio. Conjecturarum satis, et fortasse plusquam satis.

IX. *Ejus obitus et sepultura, translationes, canonizatio, festa et reliquæ, successores.*

30. Obiit vir sanctus anno 814, XII Kal. Martii, diebus 22 post Carolum Magnum. Morti proximus, « multa usus humilitate, » inquit Hariulfus, « cujus perseverans fuerat conservator, præcepit ut ante fores templi tumularetur. Locus autem ipsius sepulture ita aditus ecclesie proximus est, ut a nemine basilica ingredi possit, qui non sanctam corporis ejus tumbam calcaret. »

31. Varia ejus epitaphia referuntur: unum refert Hariulfus quatuor versibus constans, qui « in gyro sepulture ejus » legebantur; aliud Anscherus, quod « æreum epitaphium » vocat, hoc est in lamina ærea inscriptum; tertium lego apud Alcuinum, quod est poema 116:

Omnia quæ cernis summo renovata decore,
Interiorius templum exteriorusve sacrum,

Angilbertus ovans jam fecit amore paterno
Sanctorum, pariter perpetuique Dei,
Non parcens opibus propriis: nam quidquid habebat,
Ecclesie largi jam pietate dedit.
Et tu, serve Dei, veniens... inde viator
Hæc loca percurrere pulchra monasterii,
Ecclesiasque Dei devoto pectore Christi,
Cerne decus varium per pietatis opus.
Semper in ore tuo Christo dic maxime laudes,
Talia qui voluit posse suum famulum.
Dicque: Tuo servo requiem da, Christe supernam
Nominis qui fecit hæc specio-a tuo.
Vosque Dei [famuli] pro isto intercedite semper,
Ut famulum servet Christus ubique suum.
Det veniam acclerum, æternam tribuatque salutem.

Istud epitaphium si ab Alcuino post mortem (ut videtur) Angilberti conditum est, Angilberto supervixit Alcuinus.

32. Duplicem Angilberti corporis translationem commemorant Hariulfus et Anscherus: unam a Ribodone abbate anno ab ipsius obitu octavo et vigesimo factam; aliam per Gervinum itidem abbatem sæculo XI.

33. Quo tempore Angilbertus inter sanctos relatus sit, quove primum ejus memoria in divinis officii celebrari cœperit, inquirendum. Utrumque contigisse puto anno 1110, quando Anscherus abbas ejus rei gratia Paschali summo pontifici librum de Angilberti Vita, Radulfo Rhemorum archiepiscopo alterum de ejus miraculis obtulit, ut eum in sanctorum canonem referrent, et festivo cultu honorari præciperent. Sane hanc fuisse Anscheri mentem describendis Angilberti gestis, patet ex fragmento præfationis in librum ab se compositum de ejus Vita: ubi ait hoc ideo se fecisse, ut sciret, « qualiter hic justitiæ cultor debeat tractari: utrum, velut hactenus gestum est, inter mortuos fideles memoria illius teneatur, an juxta Scripturam dicentem, Memoria justorum cum laudibus, anniversaria dies ejus in numero sanctorum solemniter celebretur. » Ergo *hactenus*, id est usque ad tempus Anscheri, Angilberti memoria inter mortuos fideles fuis pro ipso suffragii habita est, uti præceperat Gervinus post inventum ejus corpus: nam antea diem obitus ejus non recolabant Centulenses, qui ipsam ignorabant, ex Hariulfo.

34. Post illud tempus, consensu et decreto (ut puto) Paschalis papæ II, celebrati sunt sancti Angilberti obitus, itidemque ejus translationis festi dies. In vetusto indice solemnitatum, quæ « ad Centulam proprie pertinent, » scripto ante annos quadringentos, hæc de sancto Angilberto invenio: « XII Kal. Martii depositio sancti Angilberti abbatis et fundatoris; » nam instaurator, fundator alter. « Nonis Novembris translatio prima sancti Angilberti abbatis: » ea nimirum quæ per Ribodone abbatem facta est, cujus meminit Nithardus in Historiæ lib. IV. De alia, cujus auctor Gervinus, nulla mentio in prædicto indice solemnitatum.

35. Quis Angilberti abbatis successor fuerit, lis est inter auctores. Hariulfus ei substituit Nithardum filium, « quem de regis filia Berta susceperat. » Id falsum esse Paulus Petavius in Syntagmate Nithardi demonstrat hoc argumento, quod Nithardus anno a patris obitu trigesimo, id est, anno 844, quo Historiam suam composuit, nondum sæculo nuntium remiserat. Hoc etiam argumento Petavius refellit scriptorem secundæ Vitæ Anscherum, qui Nithardum subjicit Ribodoni abbati anno prædicto e vivis erepto: cui Ludovicum sufficit, Ludovico Nithardum, uti eum docuit hæc notatiuncula margini codicis Hariulfi ab antiquo descripta: « Post domnum Ludovicum præfectus dicitur domnus Nithardus. Et quoniam tum persecutio gravis insistebat paganorum, etiam maritimæ [Franciæ] comitatum suscepit. » Denique Petavius Nithardum conjicit bello peremptum fuisse anno 853, cum Dani Suevique, quos Theotisci *Nortman*, id est Aquilonares, appellant, suæ habitationis finibus egressi, jam per

viginti annos omnem oram maritimam incendiis, rapinis omnique crudelitatis genere afficerent. Erit forsitan qui dubitet an Nithardus Centulensis monasterii abbas fuerit, eo quod in quodam rhythmo, quem Angelramnus abbas Centulensis de abbatibus antecessoribus suis annis centum ante Hariulfum condidit, omissus sit Nithardus. Audi Hariulfum in lib. iv, cap. 17, agentem de Angelramno: « Is ipse

Quæ occurrunt memoriæ
Centulensis cœnobii
Præ omnibus egregius
In hac villa progenitus,
Ocioaldus sequitur.
Guitmarus vir sanctissimus.
Quibus Hericus additur
Herbertus, Symphorianus
Cum Guelfone et Hedenoldo,
Post Ingelardum igitur
Sancti imitator ordinis

A honorabilis vir posteritati consulens, catalogum rhythmicum de Patribus sancti hujus loci, non quidem omnes designans, sed tantummodo illos memorans quorum nomina vel chartæ, vel quælibet pittiola insinuare videbantur, vel etiam Vita sancti Richarii specialiter notificabat. (*Quæ sequuntur in editis desunt.*) Scripsit autem in hunc modum.

— Licet non sint in ordine,
— Abbatum scribo nomina.
— Pastor noster Richarius,
— Primus in albo ponitur.
— Angelbertus magnificus.
— Helisachar et Aldricus.
— Hludogiuicus et regius,
— Ruodulfus, Karlomannus.
— Gerbertus et Fulchericus
— Angelramnus adscribitur
— Et studiosus litteris.

Hæc quidem honorabilis Angelramnus. » Hic catalogus etsi accuratus non sit, dubitandi tamen fundamentum præbet de Nithardi abbatali dignitate. Verum huic dubitationi occurrit Hariulfus in lib. iv, cap. 17, ubi post plura ita concludit: « Hæc igitur abbatum nomina, quæ in domni Angelramni scripto minus, in nostro vero plenius habentur, id est dom-

B nus Nithardus, domnusque Ribbodo, Helgaudus quoque et Coschinus; duo prima in codice a Gorzia delato, tertium autem in membranis nostri gymnasii reperta sunt. Nam de domno Coschino plura apud Gemeticum cœnobium scripta tenentur, ex quibus comprobatur isdem vir tam nostri, quam illius abbas fuisse loci. »

DE RESTAURATIONE MONASTERII CENTULENSIS.

(Apud Mabill., *ibid.*)

Ego Angilbertus considerans ac diligentissima investigatione et mentis affectu pertractans, qualiter una cum consensu fratrum meorum et omnium fidelium sanctæ Ecclesiæ cæterorumque bonorum hominum, hunc sanctum locum, mihi licet indigno ab omnipotente Deo, et excellentissimo domino meo Carolo serenissimo Augusto^a ad gubernandum commissum, auxiliante Domino in melius reedificare voluissem; ut monachi et cæteri famuli ibidem consistentes, vel etiam successores nostri, qui per diversa temporum spatia successuri erunt, Deo militare pro me et pro prædicto domino meo ejusdem Dei clementiam attentius valeant implorare, quatenus illis facta nostra ad perpetuam consolationem, nobisque, qui pro Dei amore laboravimus, illis orantibus ad mercedem proficiant sempiternam; secundum quod ratio permisit, et possibilitas nostra administravit, non tamen quantum voluimus, sed quantum occurrimus, sicut in sequentibus declaratur, laborare curavimus.

Quia igitur omnis plebs fidelium sanctissimam atque inseparabilem Trinitatem confiteri, venerari et mente colere, firmiterque credere debet, secundum

^a Hinc patet instrumentum istud confectum ab Angilberto fuisse post annum octingentesimum, quo exeunte Carolus Augustus dictus coronatusque est Romæ in Natali Domini.

^b Ex his episcopis, præter Megimhardum, mihi tantum certo noti sunt Pleon Noviomagensis, Theodoinus Taruennensis, Hildiguardus seu Hildoardus Atrebatensis et Camaracensis. Ex aliis nescio an Georgius fuerit Ambianensis, et Benedictus Ande-

hujus fidei rationem in omnipotentis Dei nomine tres ecclesias principales, cum membris ad se pertinentibus, in hoc sancto loco, Domino cooperante, et prædicto domino Augusto juvante, fundare studuimus: quarum major et prima est in honore sancti Salvatoris et sancti Richarii; alia in honore sanctæ genitricis semperque virginis Mariæ et sanctorum apostolorum; tertia vero in claustro fratrum in honore sancti Benedicti abbatis et reliquorum sanctorum regularium abbatum; quæ etiam mirifico ordine dedicatæ sunt a venerabilibus duodecim sanctis episcopis, quorum nomina ob venerationem et memoriam illorum huic opusculo adnectenda esse judicavimus. Hi sunt Megimhardus Rodomensis Ecclesiæ sedis venerabilis archiepiscopus, Georgius^b, Absalon, Gerfridus, Pleon, Hildiguardus, Theodoinus, Ydelmarus [*Leg. Hidelmarus*], Benedictus, et Kellanus præclarissimi episcopi: Joannes vero et Passivus sanctæ Dei Romanæ Ecclesiæ legati, præsules nobilissimi. Nam altare sancti Salvatoris, in quo positæ sunt reliquiæ ejus et sanctorum Innocentium, qui pro eo passi sunt; et altare sancti Richarii, in quo sunt reliquiæ sanctæ genitricis Mariæ et

gavensis Gerfridus is mihi videtur, quem laudat Alcuinus in carmine 50, ubi episcopus in ecclesia quadam beatæ Mariæ sacra fuisse memoratur, forsitan in Laudunensi: cujus sedis episcoporum series ac tempus regiminis, eorum scilicet qui octavo ac nono sæculo vixerunt, corrigi debet ex duabus Hincmari Rhemensis epistolis, quæ in Labbeanæ editionis Conciliorum tomo VIII recens vulgatæ sunt.